

Version latine n°2 : Hercule et Cacus

Après avoir terrassé Géryon et s'être emparé de son troupeau de bœufs, Hercule séjourne chez Évandros, qui a établi une colonie sur le mont Palatin. Mais un autre être monstrueux lui vole à son tour une partie du troupeau...

Longueur LM : texte entre crochets droits. Longueur LC : intégralité.

Ecce boues illuc Erytheidas applicat heros
 emensus longi clauiger orbis iter ;
dumque huic hospitium domus est Tegeaea¹, uagantur 545
 incustoditae lata per arua boues.
Mane erat ; excussus somno Tirynthius actor
 de numero tauros sentit abesse duos.
Nulla uidet quaerens taciti uestigia furti :
 traxerat auersos Cacus in antra ferox, 550
Cacus, Auentinae timor atque infamia siluae,
 non leue finitimis hospitibusque malum.
[Dira uiro facies, uires pro corpore, corpus
 grande (pater monstri Mulciber huius erat)
proque domo longis spelunca recessibus ingens 555
 abdita, uix ipsis inuenienda feris.
Ora super postes affixaque brachia pendent,
 squalidaque humanis ossibus albet humus.
Seruata male parte bouum Ioue natus abibat,
 mugitum rauco furta dedere sono. 560
« Accipio reuocamen », ait, uocemque secutus
 impia per siluas ultor ad antra uenit.
Ille aditum fracti praestruxerat obice montis ;
 uix iuga mouissent quinque bis illud opus.
Nititur hic umeris (caelum quoque sederat illis) 565
 et uastum motu collabefactat onus.
Quod simul euersum est, fragor aethera terruit ipsum
 ictaque subsedit pondere molis humus.
Prima mouet Cacus collata proelia dextra
 remque ferox saxis stipitibusque gerit. 570
Quis ubi nil agitur, patrias male fortis ad artes
 confugit et flammis ore sonante uomit,
quas quotiens proflat, spirare Typhoea credas

¹ Allusion aux origines arcadiennes d'Évandros.

et rapidum Aetnaeo fulgur ab igne iaci.
Occupat Alcides adductaque claua trinodis 575
ter quater aduerso sedit in ore uiri.
Ille cadit mixtosque uomit cum sanguine fumos
et lato moriens pectore plangit humum.]
Immolat ex illis taurum tibi, Iuppiter, unum
uictor et Euandrum ruricolasque uocat ; 580
constituitque sibi, quae Maxima dicitur, aram,
hic ubi pars Urbis de boue nomen habet.
Nec tacet Euandri mater² prope tempus adesse
Hercule quo tellus sit satis usa suo.

Ovide

² La mère d'Évandre, divinisée par les Romains sous le nom de Carmenta, était prophétesse.